



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Theophili Bernardini E Societate Iesv De Religiosæ
Perseverantiae Præsidiis Libri XI. ...**

Bernardin, Théophile

Antverpiae, 1622

Widmung

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47032)

P E R I L L V S T R I
E T
R E V E R E N D O A D M O D V M
P A T R I A C D O M I N O
D. A N T O N I O
D E M O N T M O R E N C Y
S A N C T I A N D R E Æ
A P V D C A S T R O C A M E R A C E S I O S ,
E T F I D E M I E N S I A B B A T I .



ANNI iam effluxere sex , Peril-
lustris & Admodum Reueren-
de Præful , ex quo tractatum
de Eligendo vitæ Instituto, lin-
gua vernacula descriptum, pri-
mogenito fratri tuo , nunc Pa-
tri Francisco Societatis Iesu
Religioso , tunc autem cele-
berrimæ Cathedralis Leodiensis Decano , dicatum
edidi. Quid exinde, præter plurimorum expectatio-
nem,

nem, Dei spiritu vbi voluerit spirante, contigerit
nosti: arridente rerum omnium copiâ, prudens In-
spector sui, vento propè nimium secundo vela con-
traxit, & ea nostræ Societatis incundæ consilia ini-
uit, quorum præ ceteris & cognitor, & explorator
& promotor fuisti.

In eorundem communionem consiliorum cum
& ipse vocatus essem, videremque ad suum finem
esse perducta, non potui non plurimum gratulari, &
hunc ipsum lætitiæ indicem, benevolentia testem
elaborare Commentarium, quo non eum vnum,
(qui firmè sibi constat) sed eius occasione quemuis
ad celsiora nitentem, & vitæ perfectioris tirocinia
ponentem alloquor, firmandæque perseverantiæ
subsidia ministrare conor. Pauciora quidem illa, sed
eo diligentius obfirmata.

Et verò, haud secus ac si quis de vitæ diuturnitate
scriberet, id spectans vt eius tuendæ & prorogandæ
rationem commonstraret; ineptè meo iudicio face-
ret, si de vita, de tempore, de duratione multa Philo-
sophorum in morem differeret: ad rem verò suam a-
ptissimè, si de cibis, de diætâ, de otio, labore ad vate-
tudinem conferente, & alijs id genus disputaret. Ita
hoc in argumento, vitandum credidi, ne de Perse-
uerantia, Theologorum in morem subtiliùs dice-
rem: sed eâ obiter perstrictâ, in ijs morarer quæ ma-
ximè

ximè faciunt, vt in benè cœptis ad extremum vsque perstetur. Si enim ex verissima Sanctorum doctrina certum est, minimè subitarias esse hominum ruinas, neminemque derepentè fieri improbum; certè necesse est vt quancumque lapsus quispiam fuerit, præcesserit quiddam quod perseveraturi præsidia, & firma fundamenta concusserit, adeoque labefactarit, vt denique superstructæ moli imparia fatiscant, & in vagum puluerem coagmentatio dissipata soluatur.

Licet autem in tanta, tum casuum, tum humanorum ingeniorum varietate, præsidia numero plurima sint: sunt tamen potiora quædam, quæ si benè firmaueris, nihil magnoperè pertimesces, & ex ijs minora cetera, paulatim, & sponte manabunt. Eiusmodi sunt virtutes illæ quas Isagogicas, hoc est aliarum conciliatrices, seu procreatrices, harum rerum periti dixere. nec tamen de his agimus, sed de ijs quæ maximè faciunt, vt benè iucundeque, in suscepto vitæ perfectionis genere permaneri queat.

Quod vt aliquousque exequerer, meque latius ad omnia vitæ melioris Instituta expanderem, easum persecutus, quæ non vni, sed omnibus Institutis conueniant, eo maximè quòd nullum est, quod non ijsdem quibus cetera, præceptionibus virtutis in commune nitatur. Neque aliter videas eundem

architectum, eadem norma, plurimas domos erigere: iisdemque (vt à priore non recedam exemplo) sanitatis præceptis aduersos curari morbos, valetudinem firmari.

Verùm hæc à me, alijs potiùs quàm R.^e. T. D. dicta sint; perspicacior est, quàm vt his egeat; benignior, quàm vt facilè damnet. Debeatur autem illi liber hic, vt eius cuius occasione scribitur fratri, & arctissima consensione coniunctissimo fratri: quo fit vt næuos omnes benignissimè ferendos sperem, mihi que à diuina Maiestate sanctis tuis sacrificijs exorata, donandum vt quod verbis suadeo, rebus præstem. Dominus Iesus R. T. Dominationis sancta vota benigno semper fauore prosequi dignetur. Tornaciè Societatis Iesu Collegio, 2. Febr. ann. 1622.

Per illustris & Adm. R. D. Tuæ

seruus in Christo

Theoph. Bernardinus.